

171
15

DISSERT IDICA
INA S,

TITULUM PANDECTARUM,

CUI INSCRIBITUR,

ARBORUM FURTIM CAESARUM.

DISSERTATIO JURIDICA
INAUGURALIS

AD

TITULUM PANDECTARUM,

CUI INSCRIBITUR

ARBORUM FURTIM CAESARUM,

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI,

JACOBI CORNELII BROERS,

MED. CHIR. ET ART. OBST. D., MED. PROF. ORDIN.

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS JURIDICAE DECRETO,

Pro Gradu Doctoratus,

SUMMISQUE IN JURE ROMANO ET HODIERNO HONORIBUS
AC PRIVILEGIIS,

IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA,

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

DEFENDET



HENRICUS GOCKINGA,

GRONINGANUS.

AD DIEM XI APRILIS MDCCCXXXIV, HORA I—II.

LUGDUNI-BATAVORUM,
APUD H. W. HAZENBERG, Jr.
MDCCCXXXIV.

TYPIS J. G. LA LAU.

PATRI OPTIMO,

CARISSIMO.

Celui qui n'écrit, que pour satisfaire un devoir, dont il ne peut se dispenser, une obligation qui lui est imposée, a sans doute de grands droits à l'indulgence de ses lecteurs.

LA BRUYÈRE.

DISSERTATIO JURIDICA INAUGURALIS,

AD

TITULUM PANDECTARUM,

cui inscribitur

ARBORUM FURTIM CAESARUM.

In explicando hocce titulo Pandectarum, ratio et ordo explicandi fere sponte sua sese nobis offert; facili enim atque lucido interpretandi modo maxime consulere videmur, si ad singulas leges singulasve paragraphos, quid in iis memoratu dignum, aut explicatione indigens nobis appareat, adnotemus atque indicemus.

Ad Tituli inscriptionem.

ARBORUM FURTIM CAESARUM.

Ad tituli inscriptionem. Inscriptiones titulorum *Rubricae* vocantur, quia, ut magis discernerentur, omnia summa materiae capita, rubro vel minio notari fuerint solita. Sic apud Ovidium, *Trist. L. I. Eleg. I. vs.* 7.

Nec titulus minio, nec cedro charta notetur.

Et apud Juvenalem, *Sat. XIV. vs.* 192.

Perlege rubras
Majorum Leges.

et apud Quinctil. *Lib. XII. cap.* 3. *Quorum alii se ad album et rubricas transtulerunt et formularii, vel ut Cicero ait, Leguleii quidam esse maluerunt;* atque etiam Paulus in *L.* 2. *§ ult. D. de Interd. sive extraord. act.* pro *titulo* sive *inscriptione tituli* utitur voce *rubrica*: » Recuperandae » possessionis (interdicta) causa proponuntur sub » rubrica, *unde vi.*" Quae rubrica est titulus 16. libri XLIII. Digestorum. Alii autem hanc vocem non tamen ab omni colore rubro in genere derivant, quin potius a prima significatione vocis *Rubrica.* Rubrica enim terram rubri coloris Latinis significat, eoque sensu hoc verbum apud Vitruvium, Lib. VII. cap. 7. et Catonem, *de Re*

Rust. cap. XXXIV. inveniri licet. Hujusmodi autem terrâ et minio quum tituli ac capita notari solerent, eo factum est, ut Rubricae pro titulis caperentur. Conf. Brisson. *de V. S. in v. Rubrica*, adde porro Bockelm. in Proleg. ad D. § 3.

Arborum furtim caesarum. Id est, *de actione arborum furtim caesarum.* Sic titulo sequenti inscribitur: *Vi bonorum raptorum et de turba*, pro *De actione vi bonorum raptorum et de turba.* Conf. Wissenb. in *Disput. ad t. D. vi bonorum raptorum* § 1. et Smallenb. ad Schultingii *Notas ad inscriptionem tituli* nota 1. Varias autem ex hoc delicto nasci posse actiones docet Merillius, *Observ. IV.* 33. ut passim, in hoc titulo explicando, fusius a nobis explicetur.

Arborum. De his quae arborum appellatione continentur, conferantur quae infra notata sunt ad legem tertiam. In genere observari licet, arborem proprie nullam dici, quae radicem non concepit: Conf. Brisson. *de V. S. in v. Arbor.* ubi variae divisiones arborum e Pandectis alleguntur; v. g. quod sint *frugiferae*, quales sunt *pomiferae*, vel *non frugiferae*, quales sunt *cupressi. L.* 45. § 13. *D. de Jure Fisci* et *L.* 16. § 1. *D. quod vi aut clam.* quod sint *caeduae*

vel *grandes.* *L.* 7. § 12. *D.* *Sol. matrim.* et *L.* 11. *D.* *de Usufr.* caeteraeque plures.

Sed silentio hîc praeterire nequimus arbores terminales sive finales, quae pro terminis et finibus observabantur, quae etiam dici solebant *Antemissae*, quia nonnulli has arbores ante fundos suos adeo intactas servabant, ut numquam frondem vel lignum caederent, idque eo consilio, ut magnitudine caeteras superarent, et observationem finium praestarent: etiam *Peregrinae* vocantur, quia studio in limitibus et finibus agrorum peregrinas ponebant arbores, ne vulgares crederentur; quae arbores etiam *Intactae* et *Omissae* vocabantur. Qui autem hasce arbores caederent vel moverent, non actione *arborum furtim caesarum* tenebantur, sed actione *de termino moto.* Arbores enim eum in finem sic positae, jam jam arbores considerari, ut ita dicam, desinebant, et termini, qui religione apud Romanos colebantur, censeri coeperant. Sic canit Ovidius,

» *Termine, sive lapis, sive es defossus in agro*
» *Stipes, ab antiquis, tu quoque Numen habes.*"

Jam a primis inde temporibus magna fuit apud Romanos terminorum religio. Quum enim Numa Pompilius jussisset unumquemque suum agrum circumscribere, et lapides in finibus ponere, si-

mul voluit terminos illos Jovi Terminali sacros esse, atque frugum primitias illis Terminis (quos et ipsos Deos esse credebant) sacrificari. Atque hinc si quis Terminum exarasset, et ipsum et boves sacros esse statutum erat; ideoque impune occidebantur: Cf. Festus *in v. Terminus*; et Pothier *ad tit. D. de Termino moto, pr.* — Conf. porro C. H. Trotzius *de Termino moto*, quae dissertatio exstat in *Nov. Thes. Diss. Jur. Oelrichs, Vol. II. Tom. I. pag.* 199 *sqq.*

Praeterea poenam de termino moto, omniaque in genere huc pertinentia etiam pertinere ad arbores illas Terminales docet Gothofr. in *notis* ad inscriptionem tituli *D. de Termino moto* ubi haec: »*Terminum, Termonem etiam Veteres dixerunt.* »Festus *in voce Termino. Quod de Termino* »*hic dicitur ad bodones sive botones etiam per-* »*tinet* (*qui vicem Terminorum praestant*) *et ad* »*arbores terminales.*"

Bodones, Botones, Bottones vel Botontini, dicuntur tumuli ad denotandos agrorum fines erecti. Conf. Brisson. *de V. S. in v. Bodones.* Sic apud Paul. *Rec. sent. L. V. tit. XXII.* 2. haec occurrunt: »*Qui terminos effodiunt vel* »*exarant, arboresve terminales evertunt, vel qui* »*convellunt Bodones.*" Ad hunc autem locum merito adnotat Doct. Schultingius: »*Credo haec* »*esse ab Ulpiano, non a Paullo, qui an sciverit*

quid essent Bodones, valde dubitem." Verbum hoc est posterioris aevi, et notat tumores, ex terra congesta ad agrorum fines erectos, ut docet Car. du Fresne in *Gloss. med. et inf. Latinit.* — Sin postea termini sive fines mutarentur vel duo agri in unum dominium coalescerent, arbores Finales eruebantur vel caesebantur, et novella arbor vel arbores plantabantur, eo consilio, ut facies loci, obscurandarum finalium quaestionum causa, mutaretur; et arbor vel arbores quae eo loco unde Finales vel Antemissae erutae erant, plantabantur, vocari solebant *Arbustum;* quae est altera significatio vocis arbusti, quae vox caeteroquin, priore significatione, omnibus nota est, significans locum arboribus consitum. Conf. *L.* 27. § 7. *D. ad L. Aquil.* et Isidorus *Etymolog. XVII.* 6. et Brisson. *de V. S. in v. Arbustum* (1).

Qui autem hasce arbores finales sive terminales, vel quocunque alio nomine vocabantur, caeciderant, rei erant criminis termini moti; quod est delictum extraordinarium, quo Termini, id est, lapides aliaque signa confines agrorum distinguentia moventur, mutantur, avelluntur, vel propelluntur. Cf. *L.* 1. *L.* 2. *L.* 3. D. h. t. Cu-

(1) *Arbor* etiam alia significatione occurrit, in *L. 3, L. 5,* § *3. et L. 6, D. de Lege Rhod. de jactu*, nimirum pro malo navis, quae pars navis praecipua habetur. Conf. *L. 242. D. de V. S.*

jus criminis poenam a Numa statutam modo memoravimus; sed jure novo poenà pro varia conditione admittentium est extraordinaria et arbitraria: honestiores enim relegantur; humiliores vero, si id admiserint, castigantur, vel ad opus publicum dari possunt. Conf. *L.* 1, *L.* 2, *L.* 3, § *ult. D. h. t.* Quin et lege agraria quam Caesar tulit, adversus eos qui terminos statutos, extra suum gradum finesve moverunt, (dolo malo) poena pecuniaria constituta est; nam in terminos singulos quos ejecerunt, locove moverunt, quinquaginta aureos in publico dari jubet, et ejus actionem petitionemque ei, qui volet, esse jubet. Conf. *L.* 3. *pr. D. h. t.* Conf. Pothier ad h. t. D. qui secundum Smallenburgium *ad notas* Schultingii *ad h. t.* in meliorem ordinem redegit, quae a compilatoribus Pandectarum hoc titulo tumultuarie proposita sunt.

Furtim. Minus recte Gothofr. in notis ad hunc locum e Paull. Sent. *L.* V. tit. XX. § ult. notat; *furtim caedere est noctu caedere.* Melius Brisson. de V. S. in *v. furtim*, id est, *clam.* Caeteroquin vide quae adnotavimus infra *ad pr. L.* 7.

Caesarum. Quid sit caedere arbores. Conf. *L.* 5. *pr. h. t.* quaeque ibi adnotavimus.

Ad legem primam.

PAULUS Lib. 9. ad SABINUM.

» *Si furtim arbores caesae sunt, et ex*
» *lege Aquilia et ex XII Tabularum,*
» *dandam actionem Labeo ait. Sed*
» *Trebatius ita utramque dandam, ut*
» *judex in posteriore decucat id, quod*
» *ex prima consecutus sit, et reliquo*
» *condemnet.*"

Hac lege duas actiones ex arboribus furtim caesis oriri docetur. At vero passim in titulo et aliae occurrunt actiones inde oriundae; quin imo Hermogenianus in *L.* 32. *D. de O. et A.* de concurrentibus actionibus disserens, quae ejusdem delicti nomine competere possunt, non aliud aptius exemplum afferre potuit quam illud arborum furtim caesarum. Si quis enim arbores furtim caeciderit, novem actiones ex eo delicto oriri possunt; nempe, *actio ex lege XII Tabb, actio ex lege Aquilia; actio praetoria in duplum.* Conf. *L.* 7. § *ult. D. h. t. Interdictum, quod vi aut clam;* conf. *L.* 16. § I. *D. quod vi aut clam; actio criminalis.* Conf. *L.* 3. *D. h. t.* Praeterea *actio furti, condictio*, et *ad exhibendum.* Conf. *L.* 8. § 2. *D. h. t.* et denique *actio locati;*

si colonus id fecerit. Conf. *L.* 9. *D. h. t.* et *L.* 28. § 6. *D. de jurejur.* et *L.* 25. § 5. *D. Locat. cond.* Conf. Merillius *Observ. L. II. c.* 33. Quaeritur autem an omnibus hisce actionibus experiri quis possit, ad quam quaestionem respondetur in *L.* 32. *D. de O. et A.* juncta lege 41. § 1. D. eod. »Quum ex uno delicto plures »nascuntur actiones, sicut evenit cum arbores »furtim caesae dicuntur, omnibus experiri per- »mitti, post magnas varietates obtinuit. Hoc ta- »men ita intelligendum est, ut quantum ex una »actione actor consecutus fuerit, tantum ex altera »detrahatur." Ita enim Paulus, in *d. L.* 41. § 1. scribit: »Si ex eodem facto duae competant ac- »tiones; postea judicis potius partes esse, ut, quo »plus sit in reliqua actione, id actor ferat (1); »si tantundem aut minus, id consequatur (2)". Atque haec doctrina etiam secunda legis parte confirmatur e sententia Trebatii qui docet, judicem in secunda actione debere abstrahere quod actor e prima jam consecutus est, adeoque reum

(1) Sensus est, postquam jam una actione actum erit, in sequente actione judicis erit officium curare, ut actor id ferat, quo plus sit in reliqua actione.

(2) Patet, pro *id consequatur* sine dubio legendum esse *nihil consequatur*, recte ita emendante Cujacio. Conf. Pothier, *ad t. D. de O. et A.* nº. LXVI. *et ll.* 46 *et* 47. *D. ad L. Aquil. L.* 88. *D. de furt. et L.* 1. *D. vi bon. rapt.*

tantummodo condemnandum esse in id, quod plus est in secunda actione, quam in prima instituta.

Et ex lege Aquilia. Nimirum de damno dato; causa enim hujus actionis eadem est quam legis Aquiliae; scil. damnum datum rei nostro dominio subjectae. Conf. *L.* 5. § 1. *D. h. t.* quaeque ibi adnotavimus. Conf. *L.* 28. § 6. *D. de jurejurando.*

Et ex XII *Tabularum dandam actionem.* Ex lege XII Tabb. qui hac actione conveniebatur viginti quinque aeris in singulas arbores, quas cecidisset pendere damnabatur. Conf. quae infra adnotata sunt ad *L.* 10. In Tabula secunda legum XII Tabularum sic cautum erat: » *Si injuria alienas arbores caesit, in singulas XXV aeris luito.*" Pro hac actione postea invaluit Praetoria in duplum. Conf. infra *L.* 7. § 7. *D. h. t.*

Labeo ait, sed Trebatius. C. Trebatius Testa, illustrissimus JCtus, Caesari et Ciceroni familiarissimus, in jure civili discipulum habuit Q. Antistium Labeonem, Q. Labeonis JCti filium et principem sectae Proculianorum. Conf. Bacchius *Hist. JPtiae Rom. L. II. c. II. sect.* 4. § 45.

Ut judex in posteriore deducat id, id est, ut judex extrahat de posterioribus, quod e priore actione jam consecutus est actor.

Et reliquo condemnet. Sunt qui addant *eum*; non opus: Conf. Schulting. in notis ad hunc locum. Van de Water notavit legendum esse *in reliquum*. Conf. Small. in notis ad *h. l.* Sed nulla emendatione opus est; invenitur enim verbum *condemnare* cum genitivo. *L.* 2. *D. de Evict.* et *L.* 39. *D. de oper. lib.* et cum accusativo, et quidem vel sine praepositione, vel cum ea. *L.* 45. *D. de fidej.* et *L.* 19. *D. de usur.* nec non cum *ablativo* ut hoc loco, et passim. v. g. *in L.* 6. § 9. *D. comm. divid. L.* 38. § *ult. D. de re judic.* Conf. Brisson. *de V. S. in v. Condemnare.* § 3.

Ad legem Secundam.

GAJUS Lib. 1. ad legem XII Tabularum.

» *Sciendum est autem, eos qui arbores,*
» *et maxime vites caeciderint, etiam*
» *tanquam latrones puniri.*"

In applicatione legis superioris vidimus occasione damni sive delicti arborum furtim caesarum plures dari actiones; quarum novem ibi enumeravimus. Jam in hac lege secunda, nobis obvenit actio criminalis, et proinde non immerito quaeritur quatenus haec actio concurrit cum civili; nec non, quatenus actio civilis actioni criminali praejudicium facit an minus. Rationem dubitandi petimus e *L.* 4. *D. de publ. jud.* ubi Paulus ita disserit: » Interdum evenit ut prae-» judicium judicio publico fiat, sicut in actione » legis Aquiliae et furti, et vi bonorum rapto-» rum et interdicto unde vi, et de tabulis testa-» menti exhibendi: nam in his de re familiari » agitur." Jam quaeritur quid haec verba *praejudicium fieri judicio publico* sibi velint? Sunt qui putent, Pauli sententiam non ita accipiendam, quasi velit, electa actione legis Aquiliae, prorsus non posse agi lege Corneliâ, sed interim, et dum pendet civile judicium, praejudicium fieri publico; finito autem civili, recte processurum

publicum. Quae quidem solutio inepta videri non poterit; sed praevalere tamen videtur alia ratio harum legum conciliandarum, secundum Matthaeum *de Crim. L.* 47. *tit.* 3. § 5. Nimirum quod Paulus dicit, praejudicium fieri judicio publico, id totum ad probationes referendum esse, si enim civili judicio reus convictus sit, facilius convincetur et criminali, et contra, si privato judicio absolutus sit, facilius innocentiam probabit publico. *Praejudicium* enim est quod praecedit judicium, et exemplum monstrat judicaturo quod sequatur. Proinde judex publicae quaestionis futurae sententiae exemplum capere potest ex exitu privati judicii. Conf. Matthaeus *loc. laud.* et *L. un. Cod. quando civ. act. crim. praejud.*

Qui arbores. Intelligendum est *frugiferas*, licet neget D. Gothofr. qui in notis viri Clariss. N. Smallenburgii ad h. *L.* corrigitur. — Melius autem ad hanc legem nobis disputare videtur Merillius *Obs. L. IV. cap.* 33. qui hunc locum ex Paulli *Rec. Sent.* Lib. V. T. 20. explicat, de actione extra ordinem, qua quis tenetur si arbores fructiferas reciderit.

Et maxime vites. Vitium memoratio jam probat Merillii sententiam, nempe, hic agi de arboribus fructiferis; caeterum de honore et privilegio quo vites jure Romano habebantur, conf. quae notata sunt ad Leg. 3. pr. *h. t.*

(*Etiam.*) Melius supprimenda haec vox.

Latrones. Quaeritur igitur quaenam poena iis infligenda est? Gothofr. ad h. *L.* putat poenam mortis; minus recte tamen, forte deceptus loco Servii, qui ad Virgilii Ecl. III. vs. 11.

» *Atque mala vites incidere falce novellas,*" adnotat, *fuerat capitale supplicium alienas arbores incidere.* Capitale autem supplicium non tantummodo dicitur de morte naturali, sed etiam de morte civili, qua caput etiam eximebatur. Latrones autem in metallum dabantur, aut relegari solebant. Conf. *L.* 28. § 10. *D. de poen.* et hinc eadem poena etiam reis criminis arborum furtim caesarum inflicta fuisse videtur. Jure antiquo Hollandico hujus criminis rei virgis aliave poena arbitraria coërcebantur, pro varia rei ratione. Conf. Groenewegen *de Legg. abr.* ad *L.* 2. *D. h. t.* et Voet ad *h. t. D.* n°. 5.

Ad legem Tertiam.

ULPIANUS Lib. 42. ad SABINUM.

Ad legis 3ae principium.

» *Vitem arboris appellatione contineri,*
» *plerique veterum existimaverunt.*"

Huic legi merito apud Gothofredum inscribitur: » *De his quae arboris appellatione continentur.*" Variae enim species arborum de quarum appellatione forte dubitaretur hic enumerantur. Et primus locus merito Viti conceditur, quae apud priscos magno honore habebatur. Hinc Plinius scribit: Vites jure apud priscos, magnitudine inter arbores numerari solitas esse. Huc etiam pertinet illud Virgilianum *Eclog. V. vs.* 31.

» *Vitis ut arboribus decori est, ut vitibus uvae,*
— — — —
» *Tu decus omne tuis.*

Et apud Horatium haec occurrunt:

» *Nullam Vare, sacra Vite prius severis arborem.*"

Neque apud Romanos solum, sed et apud alias gentes magno in honore habebatur vitis. Virgilianum enim locum ex Theocrito desumtum

esse notat Servius ad h. l. Praeter Graecos etiam Hebraei magno honore habere vites solebant; ut patet e loco Judicum C. IX. vs. 12. ubi arbores finguntur regem sibi velle eligere et etiam se ad *Vitem* ut hancce invitent, vertunt (1). Hispani quoque communi proverbio domum paternam, vineam avitam laudant.

In jure autem quaeri solet, an vineae arbores longaevae aestimandae sint, an minus, quae quaestio ventilatur a Menagio *Amoenit. Juris Cap. IX. ad L. 4. § 5. D. locat.* ubi cum de vetustate vinearum quidam colonus quereretur, ob idque remissionem postularet, Imperator Antoninus rescripsit, non esse rationem ejus habendam, in hunc modum: »Novam rem desi-

---

(1) Locus sic sese habet:
»Vr. 8. Ierunt ut ungerent super se regem: dixeruntque olivae, Impera nobis.
Vr. 9. Quae respondit. Nunquid possum deserere pinguedinem meam, qua et Dii utuntur, et homines: et venire ut inter ligna promovear?
Vr. 10. Dixeruntque ligna ad arborem ficum, veni et super nos regnum accipe.
Vr. 11. Quae respondit eis. Nunquid possum deserere dulcedinem meam, fructusque suavissimos, et ire ut inter caetera ligna promovear?
Vr. 12. Locutaque sunt ligna ad vitem, veni, et impera nobis.
Vr. 13. Quae respondit eis. Nunquid possum deserere Vinum meum quod laetificat, Deum et homines, et inter ligna caetera promoveri?"

»deras, ut propter vetustatem vinearum remis-»sio tibi detur." Breviorem vitam Theophrastus et Plinius Lib. XVI. Cap. 44. vitibus tribuunt: sed laus longaevitatis iis competere videtur ex propaginibus, quarum beneficio vites non alias arbores ex se creant, sed quasi ex se replentur. Et hinc non immerito vites immortalitatis participes esse dicuntur (1).

(1) Caeterum, B. Lectori non ingratum fore confido, si occasione eorum quae de vite arbore in medium protulimus, etiam super vite vinoque adscribam locum insignem, ex antiquo libro Belgico, scilicet versione Belgica, operis, olim valde celebrati, *Bartholomaeus den Engelschman, van de proprieteiten der Dingen.* Haerlem MCCCC en LXXXV. *Lib, XVII. C. 179. et seq*: »Vitis dats een wynghaert, ende zyn natuer »is buechsam ende buecht hem wech ende weder, ende »vlecht hemzelven d'een in d'ander, als arm in arme, »ende daer zyn cleyn dradekens aen, die hem cronc-»kelen en vlechten an de bomen, daer si an comen »konnen, alsoe vast, dat die wyngaerdt niet vallen en »mach. En deze ranxkens heyten Cornubi. Vinea is »die stede daer men den wyngaert plant, en zommige »luden heytent Vinetum.

»Vinum, dats wyn, en is alsoe veel gheseyt als in »den wyngaert ghewassen, of is gheseyt van Vena, »dats van d'ader. daer omdat dye wyn dye aderen »haest ghevult heeft. — Men en mach die loven van »den wyne niet te vollen beschriven, ja al leefde »bachus noch selven. Item dye wyn houdt princi-»paetschap onder allen natticheden."

Ad L. 3. § 1.

» *Hederae quoque et arundines, arbores* » *non male dicentur.*"

Hederae. Secundum Brissonium *de V. S. in v.* haec vox non alio loco in Pandectis occurreret. Apud Columellam L. VIII. Cap. X. hederae uvae sive uvae hederaceae utilissimum nutrimentum turdis laudantur, atque frons hederae bubus alimentum erat. Sic scribit Cato *de Re Rust. LV:* »Ubi foenum non erit frondem hederaceam dato." Frons hederae etiam signum victoriae celebrabatur; uti legimus *hederae victricis ferre praemia*, apud Horat. Epist. L. 1. Ep. 3. vs. 25. Egregium est epitheton quod Virgilius *in Ecl. III. vs.* 19. huic arbori dat. memorat enim ibi *errantes hederas*, quia hac et illac vagari solent: nostratibus *Klimop.* Conf. Servius ad Virgil. d. l.

Et Arundines. Arundo caedua occurrit in *L.* 40. § 1. *D. de contr. emt.* Arundine pro ligno utuntur in Aegypto. *L.* 55. § 5. *D. de legat.* 3°. Arundinetum est locus ubi arundo provenit et colitur; Belgice, *Een plaats met riet beplant.* Non abs re videtur hic observare, mox post arundinis factam mentionem, memorari *Salictetum*, sive potius *Salictum;* nam in cultura harum arborum naturale etiam quoddam vinculum

exstitisse videtur, observante Catone *de R. R. XLVII.* quo autem loco omnia de arundine et vite adeo confuse sunt proposita ut Pontedera ad eum locum adnotet: »Haec Catoniana esse, facile mihi persuadere non possum."

Ad L. 3. § 2.

»Idem de Salicteto dicendum est."

De Salicteto. De salicto legitur in Haloandrina, et haec lectio prae *salicteto* ferenda videtur. In *L.* enim 7. §. 5. *D. Quod vi aut clam* eadem significatione occurrit *salictum*, et apud ipsum Columellam, *de R. R. L. XI. C.* 2. § 19. etiam legimus *deputare salicta;* et vox *salictum* etiam occurrit apud Ovidium *Metam.* XI. vs. 363. Salictum autem est locus frequente et densa salice plantatus, nostratibus: *Een Wilgenbosch.*

Ad L. 3. § 3.

» *Sed si quis saligneas virgas instituendi* » *salicti causa defixerit, haeque, antequam radices coëgerint, succidantur* » *aut evellantur: recte Pomponius* » *scripsit non posse agi de arboribus* » *succisis, cum nulla arbor proprie* » *dicatur, quae radicem non conce-* » *perit.*"

Generale juris principium est, nullam arborem dici, nisi quae radices egerit; hujus autem regulae exceptio proposita est in stirpibus olearum, ob eximium harum fructum, uti docetur § 7. h. L. ubi vide quae adnotata sunt. Contrarium autem obtinet in virgis saligneis, quippe harum non eadem est praestantia, atque propterea, secundum generalem juris regulam, arbores non censentur esse, antequam earum radices terrâ coaluerint; sed herbarum erunt loco, quique eas evulserit, propterea hac actione non tenetur.

Coëgerint. Alii legunt *egerint*, alii *coiërint.* Conf. Gothofr. *in n. ad h. t.*

Pomponius. Videantur quae infra notata sunt ad § seq.

Ad L. 3. § 4.

»*Quod si quis ex seminario*, [*id est*] »*stirpitus arborem transtulerit: eam*, »*quamvis nondum comprehenderit ter*»*ram, arborem tamen videri, Pompo*»*nius Lib. 39. ad Sabinum probat.*"

In hac lege, uti jam observavimus, agitur de his quae arborum appellatione continentur; quibus speciebus singulis enumeratis, huic legi finem imponit § 8. hisce verbis: »Omnium igitur harum arbo»rum quas enumeravimus nomine agi potest," (nimirum, arborum furtim caesarum actione;) extra omne dubium igitur, etiam quae hac §° 4ª enumerantur, stirpitus e seminario translatae arbores, hanc actionem producere debent; sed totidem verbis contrarium docere videtur L. 7. § 2. *D.* h. t. ubi dicitur, si quis radicitus arborem evellerit vel extirpaverit, hac actione non tenetur:, neque enim caecidit vel succidit vel subsecuit. Aquiliâ tamen tenetur quasi ruperit. — Hanc difficultatem senserunt, atque ita eam explicare conati sunt, quasi de duobus hîc sermo esset, de altero transferente, de altero caedente arborem. Conf. Corp. jur. Gloss. ad h. l. nota p. ubi haec: »*Transtulerit*, de »loco alieno in suum fundum, aliusque postea »caecidit translatam, quae nondum radices immi»serat, illi enim hac actione tenetur. Sed non is

» qui transtulit, sed Aquilianâ." Haec autem interpretatio nobis placere nequit, quippe longius quaesita; nullam enim rationem video unde colligeremus hîc de duabus agi personis, de transferente et de caedente? Potius mihi arridere videtur explicatio quâ id § 2. *l.* 7. intelligatur de regula quadam generali, quae docet, arbores radicibus evulsas aut exstirpatas, non producere actionem arborum furtim caesarum, quoniam eae arbores neque caesae, neque succisae, neque subsecutae erant, sed radicitus evulsae; quae extirpandi actus magis convenit actui rumpendi, quare etiam actio legis Aquiliae in casu exstirpationis conceditur. Ab hac autem generali regula exceptionem proponi in hac paragrapho si amittamus, omnis difficultas evanescit, et res in plano erit; neque difficile erit rationem exceptionis indagare. Primo enim, tota haec Lex exceptiones continet; generali enim arborum denominatione continentur illae quae fructibus opponi solent; sed secundum hanc legem, vites, hederae, aliaque etiam arboribus annumerantur. Conf. Voet ad h. t. *D.* n° 1. Porro vidimus stirpes olearum a generali regula excipi, et arbores censeri, sive jàm egerint radices sive non. Conf. § 7. *h. L.* Et hinc ipsa totius hujus legis ratio nos ducere videtur ut hîc etiam exceptionem suspicemur regulae generalis, in fa-

vorem seminarii introductam: maxime enim intererat seminaria, in quibus novellae arbores colebantur, intacta servari, et maxime ab avulsione vel exstirpatione, quae in seminariis facilius fieri poterat, quum ibi arbores adhuc novellae et teneres essent; atque hinc domino seminarii, unde arbores exstirpatae erant, non tantum competebat actio ex lege Aquilia: quasi ruptae erant arbores, sed etiam actio arborum furtim caesarum. Atque hacce explicatione, mihi saltem videtur, nullo torto interpretandi modo admisso, utraque paragraphus conciliari posse; an satis recte doctiores videant atque judicent. Quaestionem de arbore quae radices jam conceperit an minus, vide quae notavimus ad praecedentem § 3. h. L.

Ex Seminario. Seminarium est locus in quo novellae plantae vel arbores adolescunt; vel locus subactus, in quo semina aut vitium aut arborum panguntur, ut, cum ad certam quantitatem excreverint, in vinetum, vel arbustum vel pomarium transferantur. Conf. *L.* 9. § 8. *D. de usufr.* et ibi Gothofr. Ideo qui vineam vel arbustum vult constituere, seminaria prius facere debet, ut docet Columella *de Arbor.* C. I. — Atque haec prima seminarii significatio etiam ad personas translata est. Sic apud Livium XIII. 61. occurrit: *Seminarium Senatus*, pro ordine e

quo senatores creabantur. Errare igitur videtur Brisson. de V. S. ad hoc verbum adnotans: Seminaria appellantur fructus sementis causa repositi.

[*Id est.*] Melius desiderantur; quin imo in erroream opinionem inducerent, quasi ex seminario et stirpitus arborem transferre, eadem essent; abest quoque apud Halöandr., et Schulting ad hanc § notat: »*Id est*, abest apud Rob. Steph. rectius."

Stirpitus. Idem quod *radicitus*, id est cum radicibus.

Quamvis nondum comprehenderit. Comprehendere terram arbor dicitur, quae terrae coälescit.

Pomponius Lib. XIX ad Sabinum probat. De Sexto Pomponio, JCto celeberrimo, Juliano aequali, quique Divos Fratres aetate attigisse videtur, quippe satis noto, non est quod dicamus. Inter plura scripta memorantur libri XXXV *ad Sabinum*, sive *ex Sabino*, quorum liber XIX hic citatur. Monere sufficiat, sine justa causa, duos Sextos Pomponios fuisse, statutum esse a nonnullis viris doctis; ut docetur a Bachio *Histor. JPtiae Rom. L. III. cap. II. Sect.* 5. § 13. ibique ab A. C. Stockmanno in nota * originem hujus erroris expositam esse. — Fuit Masurius Sabinus qui praeceptoris sui Capitonis

sectam illustravit; et Coelius Sabinus: ad illius de *jure civili libros tres* commentarios scripserunt Pomponius, Ulpianus et Paullus. De Masurio Sabino, Conf. Bachius *op. cit. L. III. cap.* I. *Sect.* 6. § 13. et de Coelio Sabino ibidem § 21.

Ad L. 3. §. 5.

»Ideo ea quoque arbor esse videtur, cu-»jus radices desinent vivere, quam-»vis adhuc terrâ contineatur: quam »sententiam Labeo quoque probat."

Hac lege docetur etiam arboris appellatione contineri eam arborem quae terrae adhuc cohaeret, quamvis ejus radices jam desierint vivere; quod tamen non ita intellexit D. Gothofr. qui ad § praecedenten tertiam h. L. adnotavit: non esse arborem, cujus radices exaruerunt, forte deceptus ratione, arborem non esse, quae radices non habuit. Conf. Small. in notis ad h. §. Sed ratio in promptu est, si sequamur explicationem Pothierii, ad h. t. D. num. 1º n. a.

dicentis, quod, quoniam arbor in hoc edicto dicitur, etiam illa quae stirpitus translata nondum terrae coäluit radicitus, ideo et illa quoque, cujus radices mortuae sunt, sed truncus adhuc terrâ contineatur, nihilominus recte arbor videatur, et ad hoc edictum pertineat.

Ad L. 3. § 6.

»*Labeo etiam eam arborem recte dici*
»*putat, quae subversa a radicibus,*
»*etiam nunc reponi potest, aut quae*
»*ita translata est, ut poni possit.*"

In hac § Labeo pergit docere quaenam, arboris appellatione, contineantur; et fingit casum, arborem procellâ vel alia vi subversam esse a radicibus, et ab aliquo caesam. An hic etiam teneatur arborum furtim caesarum actione; id est: an talis arbor subversa sub arborum appellatione contineri queat? et distinguendo respondet, si ita subversa sit, ut adhuc reponi possit, aut ita translata, ut poni possit, arbor erit. Sin minus, arbor non erit, sed eo casu, nuda lignorum appellatione continendam esse.

Ad L. 3. § 7.

» *Stirpes oleae, arbores esse magis est,* » *sive jam egerunt radices, sive non-* » *dum.*

In lege sequente docetur extra omne dubium, non debere arboris numero censeri, quod adhuc adeo tenerum sit, ut herbae loco sit censenda. Ab hac autem regula, exceptionem hic invenimus in stirpibus Olearum. Oleae enim stirpes incidens (etiamsi ea radices non egit) arborum furtim caesarum actione tenetur ut hîc; quod speciale est in olea. Neque ratio discriminis repetenda videtur a differentia inter translatas arbores cum radicibus, et inter virgas plantatas. Conf. Corp. Jur. Gloss. ad h. §. Sed potius cum Gothofr. ad h. § statuendum videtur, hoc forte ita introductum fuisse ob eximium fructum et miram serendi diligentiam et scrobis subigendi et praeparandi difficultatem, quem, vel anno antequam taleam deponant, (id est truncum sine radice) praeparant, ut sole et pruina fiat putris, quae tota impensa perit mox, trunco caeso (1).

Arbores esse magis est. Magis adverbium

(1) De taleis oleaginis serendis. Conf. Cato *de Re Rust.* Cap. 45.

comparativum, quo eleganter uti solent JCti, si quando duarum sententiarum alteram alteri praeferendam censent; quo pertinent formulae frequentissime in jure obviae, et citatae apud Brissonium *de V. S.* in V. *magis* et in V. *potius.* Quaesitum igitur hoc loco de stirpibus olearum, et respondet JCtus: in judicando de hisce, sive arbores sint nec ne, non tam ad cöalitionem earum cum terra attenditur; sive enim hae radices egerint, sive non; *magis est*, id est, *dicendum tamen arbitror*, *potius est*, *verius est ut dicamus*, eas arborum numero computandas esse.

Vites adeoque et oleae nec non seminaria, privilegio quodam, ut ita dicam, gavisae fuisse videntur. Conf. quae adnotavimus *ad L.* 2. *et L.* 3. § 4. *h. t.*

Ad L. 3. § 8.

»*Omnium igitur harum arborum quas* »*enumeravimus, nomine agi poterit.*"

Haecce paragraphus finalis quasi conclusionem totius legis in se continet. Varias species enumeraverat JCtus, de quibus quaeri poterat an inter arborum denominationem contineri poterant, nec ne. Et postquam vites, hederas, arundines, salicta et stirpes olearum, arboris appellatione contineri docuerat, finem huic enumerationi imponit, dicens, omnium arborum, et etiam earum quas enumeravimus, nomine agi potest; id est: Omnes illae arbores quas enumeravimus, si furtim caesae sunt, producunt actionem arborum furtim caesarum.

Ad Legem Quartam.

GAJUS Lib. [1.] ad Leg. XII Tabb. (1).

»*Certe non dubitatur, si adhuc adeo »tenerum sit, ut herbae loco sit, non »debere arboris numero haberi.*"

Supra vidimus notam characteristicam arborum esse ut radices egerint; ne autem haec locutio in ridiculum verteretur, et intelligeretur de omni vel minima etiam planta quae radices egerat, JCtus hac lege cavit, ne aliquis hoc sumat de herba aut aliqua planta adeo tenera, ut huic similis sit. Conf. Voet ad *h. t. D. n°.* 1. et de hujus regulae exceptione quae adnotavimus ad § 7 legis praecedentis.

(1) Numerus I. in manuscripto Florentino deëst. Sed fuit tamen liber primus Gaji ad Leges XII. Tabb. Vide L. 2. h. t. et auctores quos citat Schulting in n. ad h. L.

Ad Legem Quintam.

PAULUS Lib. 9. ad SABINUM.

Ad principium.

» *Caedere est non solum succidere, sed*
» *etiam ferire caedendi causa. Cin-*
» *gere est deglabrare, subsecare est*
» *subsecuisse: non enim poterat cae-*
» *cidisse intelligi, qui serra secuis-*
» *set.*"

Generatim expositis omnibus illis quae sub appellatione arborum intelligenda sunt aut minus, jam in hac lege proceditur ad explicationem verbi *caedere;* nec non enumerantur quaenam hic referenda sunt, quaenam minus.

Caedere, varias habet significationes haec vox; v. g. *verberare;* sic legimus, *caedi flagellis* in *L.* 2. § 4. *D. de priv. Del.* et in *L.* 10. § 12. *D. de in jus voc.* et *caedi fustibus*, in *L.* 1. *D. de Veter. L.* 28. § 5. *D. de poenis*, et in *L.* 18. *de jure fisci*, *eod.* Caedere etiam significat *occidere*, uti in *L.* 9. *C. ad L. Jul. de adult.* occurrit, *jure caesus.* Conf. Brisson. *de V. S. in v. caedere.*

Hoc titulo autem, caedere est, crebris ictibus, vel securi, vel ascia, succidere arbores; et etiam

ferire vel vulnerare in totum vel pro parte. Conf. Gothofr. in *not. ad h. l.* et infra *L.* 7. §. 3. *h. t.*

Succidere est *arbores subsecare. Succisa arbor*, in *L.* 19. *D. comm. div. Succidere* in *L.* 1. § 1. *D. de arbor. caed.* Vide plura exempla apud Brisson. *de V. S.* in *v. Succidere.* In *L.* 12. *pr. D. de usufr. et quemadm. usufr.* occurrit *materiam succidere*, ubi vox *materia* distinguitur a *ligno*; est vero ibi *materia* lignum ex quo fiunt adificia, ut ita *ligni* appellatio latius pateat.

Sed etiam ferire caedendi causa. Conf. infra *L.* 7, § 3 *h. t.* Conf. Pothier *ad h. t. D.* n°. 2.

Cingere. Hotomannus in *comm. ad Leg. XII. Tabb.* legit *stringere*, quod non opus. Cingere enim hac in re est verbum proprium, ac significat discingere, id est, arbores in orbem decorticare, quod necat arbores. Cum haec significatio huic loco conveniat, non opus etiam videtur ut legamus *coïnquere*, ut volunt viri docti citati a Small. in notis *ad h. L.* nota 2.

Deglabrare, arbores deglabrare est, eas *glabras facere*; *decorticare*, *corticem eis demere.*

Subsecare est subsecuisse. Haec verba significare possunt, tempus praesens etiam praeteritum in se continere, nisi forte melius legamus: *Subsecare est serra secuisse*, uti in Vulg. Conf. Gothofr. in notis, et Schulting *ad h. l.* quam

lectionem si sequamur, transitus etiam ad sequentia verba facilis est, et quasi sponte sua sequitur.

Non enim poterat caecidisse intelligi, qui serra secuisset; atque hoc ideo additum est, quia caedere proprie dicitur is duntaxat, qui securi ferit; adeoque, ne ille qui serra secuisset, JCto subterfugeret, hanc generaliorem significationem, verbo *caedere*, in hoc titulo JCti attribuerunt. Cf. Pothier *ad h. t. D.* n°. II. *nota*, C.

Ad L. 5. § 1.

»*Ejus actionis eadem causa est, quae »est Legis Aquiliae.*"

Conf. L. 1. *D. h. t.* Schultingius, *in notis ad h.* § rogat: »*An intelligit dominium in agente?*" et affirmando responderi posse, nobis videtur. Oritur enim actio legis Aquiliae, ex damno rei *nostrae* dato; proinde haec actio, et actio arborum furtim caesarum competit domino, non usufructuario, caeterisve, qui domini non sunt. Conf. § 2. *h. l.* et Pothier ad *h. t. D.* n°. IV. et quae infra adnotata inveniuntur ad *L.* 12. *D. h. t.* (1).

(1) »Legis autem Aquiliae actio, hero competit; hoc est, »domino." Cf. L. 11. 5. 6. D. ad Leg. Aquil.

Ad L. 5. § 2.

» *Is cujus usus fructus est in fundo, hanc* » *actionem non habet.*"

Domino soli competit haec actio, ut § 1°. JCtus docuit; proinde ipsa rei ratio docere videtur eam non competere usufructuario, quippe qui dominio careat.

At vero Gothofr. ad hujus §i verba *non habet*, adnotat: » *Imo habet. L.* 12. *supra, quod vi aut clam.*" Ad hanc autem difficultatem tollendam, dicendum est, fructuario quidem non licere actionem arborum furtim caesarum instituere, sed fructuario permitti, fructuum nomine experiri interdicto, *quod vi aut clam*, et etiam *utili actione ex lege Aquilia*, semper tamen observata regula, quae in *L.* 11. *D. h. t.* docetur. Conf. porro *L.* 11. in *fine*, et *L.* 12, 13 *et* 16. § 1. *D. quod vi aut clam.* et Pothier *l. l.* et Voet *ad h. t.* n°. 2.

Ad L. 5. § 3.

»Qui autem fundum vectigalem habet, »hanc actionem habet: Sicut aquae »pluviae arcendae actionem, et fi- »nium regundorum."

In hac lege agitur de Emphyteuta, id est, de eo, qui a domino praedii, usum et fructum et jus dominio proximum hujus praedii, in perpetuum aut ad tempus non modicum accepit, ea lege, ut in agnitionem dominii certum canonem solvat, (qui canon etiam *Pensio* et *Vectigal* dicitur, Cf. *L.* 1. *D. si ag. vect.*)

Emphyteutae igitur conceditur haec actio, non usufructuario; quaeritur ratio discriminis? Quae in promtu est, et profluit ex § 1ª. h. t.

Usufructuarius enim non habet dominium, Emphyteuta quidem. Licet enim non habeat dominium plenum, habet tamen dominium minus plenum utile; et domini appellatione utilis etiam dominus, seu utile dominium habens, continetur: unde notant rem vindicantem, causâ non cadere, si utile tantum rei dominium suum esse probaverit. Conf. Gothofr. in n. ad *L.* 23. § 1. *D. de aq. et aquae pluv.*; atque haec actio iis competit, eadem ratione, qua iis etiam competit actio aquae pluviae arcendae, nec non finium regundorum.

Fundum vectigalem. Agrorum alii vectigales, alii fructuarii, alii proprii, alii pignori possidentur. Conf. Poth. in *n. ad L.* 4. § 9. *D. Finium regund.* Agri vectigales municipiorum vocantur, qui, manente apud municipes dominio, in perpetuum locabantur, ea conditione, ut tamdiu pro his vectigal penderetur, quamdiu, neque ipsis qui conduxerant, neque his qui in locum eorum successerant, auferri illos agros liceret. Atque populi Romani vectigales agri dicebantur, qui ex hoste capti, vectigalibus subjiciebantur, et in singula lustra, vel annos centenos locabantur. Conf. Brisson. *de V. S. in v. Vectigalis.* Hoc autem loco, fundus vectigalis dicitur de eo fundo, cujus usus et fructus et jus dominio proximum, alteri in perpetuum, aut saltem tempus non modicum concessum est, ex contractu Emphyteuseos, ea lege, ut in agnitionem dominii, certum vectigal solvatur. — Praedia primum, ea lege colenda et melioranda concedebantur sterilia, postmodum autem fertilia. Ex eodem fonte manavit quoque nostratum *Tyns-Regt*, quod Emphyteusi simillimum. Cf. Simon van Leeuwen, *Rooms-Holl. Regt. Boek II, D. XII.* n°. 4, 5, 6.

Aquae pluviae arcendae actionem. Conf. *L.* 23. § 1. *D. de aqua et aq. pluviae.*

Et finium regundorum. Cf. *l.* 4. § 9 *D. fin. regund.*

Ad Legem Sextam.

POMPONIUS Lib. 10. ad SABINUM.

Ad Principium.

» *Si plures eandem arborem furtim cae-*
» *ciderint cum singulis in solidum*
» *agetur.*"

Haec lex agit de casu, quo plures sese conjunxerunt, ad arborem arboresve caedendas, damni ferendi causa v. g., vicino cuidam, quem odio prosequuntur, aut etiam forte lucri faciendi gratia, ut arbores caesas deinde auferant. Jam quaeritur, si itaque pluribus arbor caesa sit, quinam tunc tenetur? Ratio dubitandi est in eo, quod, licet plures praesentes fuerint, tamen unus duove tantummodo videntur caecidisse, aut si singuli quidem censeantur caecidisse: proprie nemo arborem caecidit, quoniam cujusque ictus per se, arborem non caecidisset

Recte ad hanc quaestionem respondet JCtus, (omni subtili distinguendi ratione, in quantum quisque caeciderit, posthabita) si plures adfuerint, omnes teneri; atque egregie ratio et fundamentum hujus doctrinae exponitur in *L.* 21. *§ ult. D. ad L. Aquil.* ubi Julianus omnibus sese huic doctrinae opponentibus respondet: ipsis

animadvertendum esse; longe absurdius constitui nullos teneri, aut unum alterumve potius, quoniam non facile constitui possit, quinam potius lege teneatur; atque insuper impunia esse maleficia, non oportere; addit porro: multa jure civili, contra rationem disputandi, pro utilitate communi recepta esse, innumerabilibus rebus probari posse. Quum autem res exemplis manifestior fiat, e pluribus unum exemplum ponit, hocce modo: Quum plures trabem alienam, furandi causa, sustulerunt, quam singuli ferre non possent, furti actione omnes teneri existimantur, quamvis, subtili ratione dici possit, neminem eorum teneri; quia neminem verum sit eam sustulisse; atque hoc exemplum expresse confirmatur in *L.* 59. *D. de furtis.*

Furtim. Conf. quae adnotata inveniuntur ad *L.* 7. *pr. h. t.*

Cum singulis in solidum agetur. In solidum et *in partem* opponuntur. — In solidum singuli tenentur, exemplo furum, sic ut unius praestatione, caeteri non liberentur; sic etiam, si plures servum percusserint, utrum omnes qui occiderint, teneantur, videamus? Et si quidem apparet cujus ictus perierit, ille, quasi occiderit tenetur; quod si non apparet, omnes quasi occiderint teneri, Julianus ait. Et si cum uno agatur, caeteri non liberantur nam ex lege Aquilia,

quod alius praestitit, alium non relevat, cum sit poena. Cf. *L.* 11, 12. *D. ad L. Aquil. et d. L.* 21. § 9. *D. de furtis.* et Voet *ad h. t. D.* n°. 2. *in fine.* Sic igitur juris erit, si plures simul caecidisse dicuntur; licet e converso, si plurium arbor caesa sit, universis duntaxat, et semel, poena praestanda sit, ut docetur sequenti § 1º.

Ad L. 6. § 1.

» *At si eadem arbor plurium fuerit,*
» *universis duntaxat una et semel poe-*
» *na praestabitur.*"

Non enim plus deliquit quia plurium est arbor. Regula enim valet in jure: » delicta circa rem admissa, non augeri multitudine dominorum." Conf. *Corp. Jur. Gloss. ad h. t.*

Duntaxat. In jure, adverbium duntaxat exclusive accipitur pro *tantum* vel *solum;* quamvis in *L.* 202. *D. de V. S. duntaxat* idem significare mihi videatur, atque *ad minimum*, uti facile ex ipsa legis sententia conjicitur: » Quum in » testamento scriptum esset ut heres, in funere » aut in monumento, *duntaxat*, aureos centum

» consumeret, non licet minus consumere; si » amplius vellet, licet; neque ob eam rem con» tra testamentum facere videtur." licet dissentiat Brisson. *de V. S* in *v. duntaxat.*

Poena. De significatione nominis poenae, generali sensu sumtae, deque varia ejus divisione, conf. quae docet Ulpianus *in L.* 131. § 1. *D. de V. S.* Poenam a pendendo derivat Varro, quum alii ejus originem Graecam esse volunt. Graecis enim ποινὴ significat pretium, quod homicida propinquis et affinibus occisi debebat, ne homicidii reum eum agerent.

Ad L. 6. § 2.

» Si arbor in vicini fundum radices por» rexit, recidere eas vicino non lice» bit; agere autem licebit, non esse » ejus, sicuti tignum, aut protectum, » immissum habere, si radicibus vicini » arbor aletur, tamen ejus est in cujus » fundo origo ejus fuerit."

Sensus hujus legis est, si arbor mea extendat radices in tuum praedium, non potes eas inci-

dere, sed denuntiare ut tollam, et agere ad hoc; et licet haec arbor alatur ex radicibus quae sunt in tuo fundo, tamen haec arbor mea manet. Atque haec JPtia conveniens est generali juris principio, quod continetur *L.* 176. *D. de reg. jur.:* »Non est singulis concedendum, quod per »magistratum publice possit fieri, ne occasio »sit majoris tumultus faciendi."

Non esse ejus. Ita in Pandectis Florentinis legitur pro: *Non esse ei jus;* idque prisco more, quo, coalescentibus in unum exterioribus dictionum antecedentium et sequentium primis syllabis, unum plerumque verbum duorum vice fungebatur, uti hoc loco *ejus* pro *ei jus;* et in *L.* 163. *D. de R. J. CuIus* pro *Cui jus*, et *in L.* 8. *D. de Liber. legat. alterIus* pro *alteri jus.* Cf. Gothofr. ad h. l. In Halöandrina legitur *ei jus*, et Taurellus edidit, *eIus*, ut docet Small. *in notis ad h. L.* n°. 1.

Sicuti tignum aut protectum immissum habere. — Sunt qui legant *sicuti tignum immissum, aut protectum habere.* Conf. d'Arnauld *Conject.* I. 2. citatus apud Smallenb. *l. l.* sed non opus est ut a Florentina lectione recedatur, si *τὸ immissum* generali sensu accipiamus, ita ut de quavis re, proinde etiam de arbore intelligatur, ut jam sensus sit, vicino non esse jus aliquid, cujuscunque generis sit, immissum habere in fundum vicini; proinde nec ra-

dices arboris sui, aeque minus atque ipsi liceret tignum aut protectnm, sine jure, in fundo vicini habere.

Si radicibus vicini arbor aletur, tamen ejus est, in cujus fundo origo ejus fuerit.

Haec doctrina contraria videtur iis quae docentur in § 31. *I. de R. D.* ubi docetur quod, si arbor vicini ita terram Titii presserit, ut in ejus fundum radices egerit, Titii illa arbor efficiatur. Wissenbachius ad h. t. D. § 20. de hac quaestione disserens, scribit: »Nodus diffici»lis, quem Hotomannus, quod videretur indis»solubilis, secat, agnoscens antinomiam." Varias praeterea conciliandi rationes ab Accursio allatas, ad lapidem lydium veritatis exploratas, consistere vix posse, ibidem docet. Varii varie hanc controversiam conciliare studuerunt, quos citat Smallenb. *in notis ad h. l. n°.* 1. Maxime autem nobis arridet explicatio Pothierii *ad h. t. D. n°.* 3. *nota l.* qui dictam paragraphum Institutionum intelligit de casu, quo integras radices arbor egit, ita ut omnino e solo vicini arbor alatur; quod si vero mea arbor extremas duntaxat radices egerit in solo vicini, quamvis tum haec inde aliquatenus alatur, tamen mea durat, quoniam in meo solo, et radicum maxima pars, et ergo etiam arboris sit. — Atque de hoc casu haec lex intelligenda est. — Eodem fere modo, secundum Cujacium respondet J. à

Costa *ad d.* § 31. *Inst.* qui tamen praeterea sibi objicit *L. ult. D. quod vi aut clam*, ubi docetur, vitem meam, quae in agrum tuum prorepsit et coaluit, nihilominus meam manere; adeoque quis dixerit sive praecipuas tantum, sive omnes radices arbor in solum vicini egerit; meam tamen arborem manere. At vero responderi potest, jus illud *in d. L. ult.* peculiare esse in vite, quia serpit longissime, itaque interdicto est locus intra annum; post annum autem radices illae vitis domino, quasi praescriptione acquisitae sunt.

Si radicibus vicini. E terra vicini, videntur legisse Basilic. meliore sensu. Conf. Schulting *in notis ad h.* §.

Ad Legem Septimam.

ULPIANUS Lib. 38. ad Edictum.

Ad Principium.

» *Furtim caesae arbores videntur, quae* » *ignorante domino, celandique ejus* » *causa, caeduntur.*"

Jam vidimus quid sub appellatione *arborum*, nec non quid sub appellatione *caedere* intelligendum sit. Jam vero hoc principio docetur

quaenam arbores *furtim* dicuntur esse caesae, atque duo praecipue hîc requiri, Ulpianus docet, nimirum ut caesae sint ignorante domino, et celandi ejus causa; si igitur arbores caedantur sciente domino et per vim, non agi potest actione arborum furtim caesarum, uti explicatum est a nobis *ad* § 3. *L.* 8. *h. t.* Atque in genere observandum, hoc principium et dictam illam paragraphum tertiam, optime posse intelligi et explicari, e comparatione inter utrumque instituta.

Furtim. Hîc non significat furti faciendi gratia, cum et sine furto fieri possit, ut quis arbores furtim caedat. Conf. § 1. *h. L.* Neque significat noctu caedere, uti est apud Paullum *Sentent. lib.* 5. *tit.* 20. § *un.* Sed significat *clam* caedere, ignorante domino, neque per vim, quacunque etiam ex causa fiat, sive lucri faciundi gratia, sive damni inferendi.

Ad L. 7. § 1.

»Nec esse hanc furti actionem scribit »Pedius: cum et sine furto fieri possit, »ut quis arbores furtim caedat."

Nec esse hanc furti actionem. — Actio furtim caesarum arborum datur contra caedentem ar-

bores, etiamsi arbores caesas non abstulerit, neque furandi propositum habuerit; nam fieri potest ut quis nocendi duntaxat animo, et non lucrandi faciundi gratia, arbores caeciderit, quo casu tamen arborum furtim caesarum competere actionem haec lex docet, ratione addita *hanc non esse furti actionem*, id est, in ea tantummodo rationem haberi ipsius facti arborum caesarum, non vero an furti vel lucri illiciti faciundi gratia hoc factum sit. Conf. Voet *ad h. t. D.* n° II. Pothier *ad h. t. D.* n° III. et Cujacius *Obs. L. IV. cap.* 2. in fine.

Scribit Pedius. Quamvis pauca de hoc JCto cognita sint, magni tamen nominis fuisse videtur. Nulla ipsius integra in Pandectis extant fragmenta, sed saepius sententia ejus ab aliis JCtis citatur. A plerisque incerti temporis esse traditur, ut a Bachio *L. III. c. II. sect.* 5. §. 23. cui sectioni inscribitur » de auctoritate prudentum; » ipsisque JCtis, ab Hadriano usque ad Constan» tinum Magnum." Ita etiam in ejus aetate definienda dubii haerent B. Rutilius in *Vit. JCtorum cap.* 55. et Jo. Bertrandus *de Jurisperitis, c.* 55. Nonnullis autem abhinc annis, vir doctissimus F. C. C. Tydeman, omnia ad hunc JCtum pertinentia, accurate collegit in Dissertatione *de Pedio Jcto. L. B.* 1822, et extra omne dubium posuit, hunc JCtum floruisse initio seculi secundi,

post C. N. Conf. *Diss. laud. c.* 1. *sect.* 1. §. 4. Ibique porro probatur eum fuisse Sabinianorum sectae addictum; nec non, ex ejus sententiis aut effatis ibi explicatis apparet, eum fuisse JCtum egregium, qui varios nodos et quaestiones juris, distinguendo, tam accurate, et juris et aequi principiis tam convenienter, dissolvere atque exponere sciret, ut eo magis dolendum sit, omnia ea scripta periisse, quorum perpauca a tribus JCtis (Salvio Juliano, Ulpiano et Paullo) nobis relicta effata aut sententiae abunde testantur, quosnam thesauros juris continerent.



L. 7. § 2.

»*Si quis radicitus arborem evellerit vel* »*extirpaverit, hac actione non tene-* »*tur, neque enim vel caedit vel suc-* »*cidit vel subsecuit. Aquilia tamen* »*tenetur quasi ruperit.*

In hac §º docetur, illum, qui neque caedit, neque succidit, aut subsecuit arborem, sed eam extirpavit vel eradicavit, non posse teneri actione arborum caesarum, quia factum caedendi, nullo modo commisit. Ne autem impune quis arbores eradicaret, statutum est, istiusmodi de-

linquentem teneri lege Aquilia, quasi ruperit; tenebitur igitur e Cap. 3. dictae legis Aquiliae, quo cautum est ut, *si quis alienum servum, pecudemve, vulnerando, vel aliud animal occidendo, aliamve rem rumpendo*, (id est, quovis modo corrumpendo) *alteri damnum dederit, tanti teneatur, quanti ea res retro triginta diebus proximis fuit plurimi.* Conf. *L.* 27. § 5. *D. et* § 13, 14 *et* 15. *Inst.*, *de lege Aquilia.*

Radicitus. Id est, cum radicibus. *Evellerit.* Alii legunt *evelleret*, et in Halöandrina est *evulserit.* Non opus autem, ut a lectione Florentina recedatur, Conf. Gothofr. in *n. ad h.* §, *et* Schulting in *n. ad h.* §, *et ad L.* 38. *D. de rei vind.* Conf. omnino quae supra adnotata sunt *ad L.* 3. § 4.

Ruperit. In vulg. legitur *rapuerit*, male; verbum enim rumpere ex ipsa lege Aquilia desumtum est.

Ad L. 7. § 3.

»*Etiamsi non tota arbor caesa sit, recte* »*tamen agetur quasi caesa.*"

Si quis non totam quidem arborem caeciderit, sed tantum partem ejus, forte uno alterove im-

pedimento, ne in caedendo pergeret detentus, non minus tamen actione arborum furtim caesarum tenebitur, aeque ac totam arborem caecidisset. Atque haec doctrina juris communis principiis conveniens, variis etiam locis Digestorum probatur v. g. *in L.* 3. § 24 *et* 25 *D. de SCto Silaniano et Claudiano.* »Si autem non totum »testamentum, sed pars ejus aperta sit, dicen»dum est, in Edictum incidisse eum qui aperuit; »parvi enim refert, utrum totum an pars aperi»atur." Conf. porro *L.* 111. *D. de Legat:* 1º. ubi Gothofredus adnotat: »Qui peccat in »parte, in toto peccare videtur." et in *L.* 3. § 8. *D. de inc. ruin: et naufr.* »Senatus consul»tum, Claudianis temporibus factum est ut, *si »quis ex naufragio, clavos, vel unum ex his ab»stulerit*, omnium *rerum nomine teneatur.*" Exemplum hujus doctrinae rationis proponit Trebatius, in *L.* 21. *pr. D. de furtis*, docens, si aliquis aurem alicujus tetigit, totum eum attigisse videtur; proinde et qui dolium aperuit, et parvum vini abstulit, non tantnm ejus quod abstulit, verum totius videtur fur esse.

Ad L. 7. § 4.

» *Sive autem quis suis manibus, sive* » *dum imperat servo arbores cingi,* » *subsecari, caedi, hac actione tene-* » *tur. Idem et si libero imperet.*"

Hac paragrapho agitur de aliquo mandante aut imperante arbores caedi, et secundum regulam, » quod quis per alium fecit, id se ipse fecisse » recte putatur" docetur, nil interesse utrum quis suis propriis manibus arbores caedat, an alteri imperaverit arbores caedere; et praeterea duplex casus distinguitur; sive hoc quis imperaverit servo suo, sive libero.

In gravioribus criminibus qui jussit crimen, ordinaria poena tenetur, aeque ac si ipse, sua manu, scelus perpetrasset. Cf. *L.* 15. *D. ad L. Corn. de Sic.* ubi legitur: *Mandator caedis pro homicida habetur.* Illis autem, qui obtemperaverunt jubenti scelus, in levioribus ignoscitur; in atrocioribus vero non quidem iis ignoscitur, sed poena tamen, propter jubentis vim, mitigatur. Hoc nimirum ita juris est in iis, qui parere necesse habent, v. g. servis, liberis, et civibus, in quos domini, patres, et magistratus vim quamdam cogendi habent; non enim videntur dolo malo facere, qui parere necesse habent, secundum re-

gulam juris: »Is damnum dat, qui jubet dare; »ejus vero nulla culpa est, cui parere necesse »sit. Conf. *L.* 167. § 1. *et L.* 169. *D. de R. J.* Aliud autem erit in libero homine, qui delictum, sibi mandatum, perpetraverit, quoniam enim non eadem ratio est mandati quae jussus, uterque ordinaria poena afficiendus erit, et qui mandavit, et qui mandatum crimen exsecutus est; quoniam nemo invitus mandatum in se suscipere cogitur.

Cingi. Vide explicationem verbi *cingere* supra *ad L.* 5. *pr.*

Ad L. 7. § 5.

»Quod si servo suo non praeceperit do-»minus, sed ipse sua voluntate id ad-»miserit, Sabinus ait competere nox-»ale, ut in caeteris maleficiis, quae »sententia vera est."

Quid juris sit, si quis servo suo imperaverit arborem, arboresve caedere, superiore paragrapho vidimus. Si autem servus sponte sua caeciderit, non jubente domino, tunc contra dominum non datur actio arborum furtim caesarum, sed domino arboris caesae datur actio noxalis, con-

tra dominum servi caedentis. *Noxales actiones* sunt, quae non ex contractu, sed ex noxa et maleficio servorum, adversus nos instituuntur; quarum actionum vis et potestas haec est, ut, si damnati fuerimus, liceat nobis deditione ejus corporis quod deliquerit, evitare litis aestimationem. Conf. *L.* 1. *D. de noxal. act.* et *pr. Inst. eodem.*

Sabinus ait. Idem Sabinus hic memoratur, qui in *L.* 3. § 4. memoratur, ad cujus *de jure civili libros tres* Ulpianus etiam commentarios scripsit. Cf. quae supra adnotavimus *ad d.* § 4. *L.* 3. *h. t.*

Competere noxale. In Vulg. et Halöandr. legitur *noxalem.* Conf. Gothofr. *in n. ad h.* §. Non opus autem, ut a Florentina recedatur. Saepius enim *noxale* in jure obvium, et subintelligitur *judicium.* Conf. *L.* 8, 21, 27. *D. de noxal. act.* et *L.* 4. *D. si ex nox. causa* et *L.* 4. § *ult. D. de re jud.* et Brissonius de V. S. in *v. Noxalis* § 2. et *tit. D. de Noxal. act.* passim.

Quae sententia vera est. Ex servi delicto dominus non obligatur. Conf. D. Goth. in notis ad *L.* 4. *Cod. de noxal. act.* — Contra vero, si domino conscio et prohibere valente, servus res rapuerit, aut furto abstulerit; nam eo casu, detracta noxae deditione, ad summam condemnationis solvendam, omnino compellendus est; id est, in id quod interest, quod hoc casu erit quadruplum. Cf. Cujac. *Observ. L. VI. cap.* 2.

Ad L. 7. § 6.

*»Haec actio, etiamsi poenalis sit, per-
»petua est: sed adversus heredem non
»datur: heredi caeterisque successori-
»bus dabitur."*

Gothofr. ad h. §. »Perpetuam hanc actionem »nota, licet poenalem et adversus heredem non »competentem."

Sed adversus heredem. Actiones poenales dantur quidem heredibus, sed non contra heredes. Conf. § 1. *Inst. de perp. et temp. act.* et *L. un. Cod. ex del. def. in quant. ten. her.* nisi ab ipsis principalibus personis fuerint contestatae; (litis contestatio enim institutam actionem producit atque perpetuat. Cf. *L.* 13. *et L.* 26. *D. de O. et A.*) quo casu heredibus dantur, et contra heredes. Cf. *L.* 58. *D. de O. et A.* et *L.* 169. *D. de R. J.* quin et id quod ex delicto ad heredes pervenit, ipsis auferendum est, ne alieno scelere ditentur, secundum regulam juris: sicuti poena, ex delicto defuncti, heres teneri non debeat, ita nec lucrum facere, si quid ex ea re ad eum pervenisset. Cf. *L.* 38. *D. de R. J.*

Ad L. 7. § 7.

» *Condemnatio autem ejus duplum con-*
» *tinet.*"

Ex lege XII. Tabb. qui hac actione conveniebatur, viginti quinque aeris, in singulas arbores quas caecidisset, pendere damnabatur. Haec autem poena viginti quinque aeris exolevit, in cujus locum, ex edicto Praetoris, successit actio, de qua hoc titulo agitur, et cujus condemnatio duplum continebat. Quomodo autem illud duplum computari debet, videndum est in *L. seq.* 8. *pr.*

Ad Legem Octavam.

PAULUS Lib. 39. ad Edictum.

Ad Principium.

» *Facienda aestimatione, quanti domini*
» *intersit non laedi, ipsarumque arbo-*
» *rum pretium deduci oportet: et ejus,*
» *quod superest, fieri aestimationem.*"

In praecedente §°. observatum est, condemnationem hujus actionis continere duplum; ut autem scire possimus quid sit duplum, primo de

simplo constare debet; et proinde in hac lege docetur, quomodo aestimatio facienda est; et docetur in facienda aestimatione ejus quod interest, primo deducendum esse pretium arborum caesarum, et deinde aestimationem faciendam esse ejus quod remanet; v. g. Arbor, antequam caesa fuit, valebat decem, lignum autem arboris caesae valet duo: jam illa duo detrahuntur, et octo duplantur. Cf. *Corp. Jur. Gloss. ad h. l.* et *ad L.* de *Servo Corrupto.*

Facienda aestimatione. Legendum videtur, *in facienda aestimatione.* Conf. Pothier *ad h. t. D.* *n°. VI.*

Ad L. 8. § 1.

» *Furtim arborem caedit, qui clam cae-* » *dit.*"

Qui clam caedit, unde etiam locum habet interdictum *quod vi aut clam.* Caeterum *ad h. §* conf. supra quae adnotata sunt *ad L. 7. pr.* et infra *ad § 3. h. L.* Vide porro Gothofr. *ad h. L.* et *L. 3. pr. et § ult. D. quod vi aut clam.*

Ad L. 8. §. 2.

»*Igitur si caeciderit, et lucri faciendi*
»*causa contrectaverit, etiam furti te-*
»*nebitur, lignorum causa, et condic-*
»*tione, et ad exhibendum.*"

Rursus exemplum hic habemus, quo actio furtim caesarum arborum concurrit cum aliis. Docetur enim, illum qui caeciderit quidem teneri hac actione, quia caeciderit; sed, si deinde ligna sive arbores caesas contrectaverit, etiam incipit teneri actione furti, et condictione, et ad exhibendum, lignorum causa, id est, propterea, quia arbores caesas abstulit.

Lignorum causa. Lignorum appellatione varia continentur. Cf. Brisson: de V. S. in v. *Lignum.* In hoc titulo, lignorum appellatione continentur arbores, quae ita laesae aut subversae sunt, ut amplius reponi nequeant. Conf. *L.* 3. § 6. *D. h. t.* ibique adnotata.

Condictione. Subintellige *furtiva.*

Ad L. 8. § 3.

»*Qui per vim, sciente domino caedit,*
»*non incidit in hanc actionem.*"

Explicanda haec paragraphus est e *L. 7. pr. D. h. t.*, ubi docetur, ut haec actio arborum furtim caesarum locum habeat, duo requiri; primo, ut furtim caesae sint; et secundo, ut, ignorante domino, celandique ejus causa hoc factum sit. Si proinde sciente domino, et non furtim aut clam caesae sint, cessat haec actio, et docetur hac §º arbores, per vim, sciente domino caedentem, nunquam hac actione posse teneri, quibuscunque aliis forte actionibus teneatur; v. g. actione *vi bonorum raptorum*, aut interdicto *quod vi aut clam. Conf. Corp. Jur. Gloss. ad h. L. ibique notae marginales.*

Non abs re autem nobis videtur, hac occasione et caeteros enumerare qui hac actione non tenentur. Cessat autem haec actio, si arbores non furtim, sed sciente domino caesae sint, per vim, uti hoc loco docetur; vel non caesae, sed radicitus evulsae atque exstirpatae; utpote quo casu, actio legis Aquiliae danda, quasi ex rupto. *L. 7. § 2. D. h. t.* Vel denique jure caesae fuerint, veluti si alius arborem, nullo jure, plantaverit in fundo caedentis, argumento legis 29.

§ 1. *in f. D. ad L. Aquil.* et *L.* 7. *D. de serv. praed. urb.* aut arbor vicini urbano praedio meo vel rustico officiat, et per dominum stet, quo minus ipse eam succidat, aut ad pedum quindecim altitudinem ramos coërceat, ac propterea ego id egerim, ex permissu praetoris, secundum tradita in titulo *de arboribus caedendis.* Praetor autem ita edixit: »Quae arbor ex agro tuo in »agrum illius impendet, si per te stat, quo mi- »nus pedes quindecim, a terra eam altius coër- »ceas, tunc, quominus illi ita coërcere, lignaque »sibi habere liceat, vim fieri veto." Atque jam Lex. XII Tabb. hoc efficere voluit, ut quindecim pedes altius rami arborum circumciderentur; atque ideo, ne umbra arboris vicino praedio noceret. *Cf. L.* 1. *pr.* § 7, 8 *et* 9. *D. h. t.*

Ad Legem Nonam.

GAJUS Lib. 13. ad Edictum provinciale.

»*Si colonus sit, qui caeciderit arbores,* »*etiam ex locato cum eo agi potest;* »*plane una actione contentus esse de-* »*bet actor.*"

Casus est: colonus agri arborem caedit, tunc tenebitur, non solum hac actione, sed etiam

actione ex locato. Sed una actione intenta, altera tollitur. De controversia autem, hinc oriunda, vide quae ad ipsa verba legis adnotata inveniuntur.

Si colonus sit. Quaeritur quid juris, si sit Emphyteuta? Communi doctorum virorum opinione Emphyteutam, eo nomine, jure suo cadere, eumque expelli posse docet Gothofr. *ad h. L.*

» *Plane una actione contentus esse debet actor.*" *Plane* in jure significat *simpliciter*, *sine conditione*, *sine determinatione.* Cf. *L.* 48. *D. de adm. et per. tut.* et *L.* 41. § 6. *D. de vulg. et pup. subst.* Praeterea autem *Plane* etiam occurrit pro *sed*, ut *in L.* 7. § 4. *D. ad L. Aquil. et L.* 52. § 7. *D. de legat.* 3º. Atque haec ultima significatio etiam est hujus loci.

Cum hac actione plures actiones concurrere possunt, uti jam vidimus passim in hoc titulo. Sic verbi gratia, concurrere cum hac actione potest etiam actio locati conducti, si caedens conductor sit; et furti, si furandi animo quis arborem caeciderit, aut ligna caesa deinde contrectaverit, etiam legis Aquiliae, veluti ob damnum injuria datum; et interdictum, *quod vi aut clam.* Conf. *L.* 1. *et L.* 8. § *penult. h. t.* et Merillius *Obs. Lib.* 4. 33. et Voet *ad h. t. D.* nº 4.

Huic igitur doctrinae obstare videretur, quod

hac lege docetur, nimirum, actorem una actione debere esse contentum. Ad hanc autem controversiam, (ut primo obtuitu videretur) tollendam, eadem fere explicatione utuntur interpretes: scil. hisce verbis eo sensu accipiendis, ut actor, qui una actione jam egerit, alia actione persequi nequeat, quod ex priore jam consecutus est, dum id quod jam consecutus est, in posteriorem actionem quae pinguior est, imputatur. Cf. Voet *l. l.* — Eodem modo, etiam hunc locum intelligit Pothier *ad h. t. D.* n° 7. *n. E.* docens, actorem contentum debere esse una actione, excepto casu, si plus adhuc esset in actione qua nondum expertus est, quam in ea actione, e qua jam aliquid consecutus fuit.

Caeterum, in genere observandum est, hunc locum explicandum esse e *lege* 34. *et L.* 41. *D. de O. et A.* Conf. porro Matthaeus *de crim. lib.* 47. *tit.* 3. *c.* 2. n° 7. et Wissenbach *in disp. ad h. t. D.* § 25. et Schulting. *in n. ad h. L.* et quae infra notata sunt ad *L.* 11. *h. tit.* quae lex etiam huc pertinet, et explicanda est quoque *e lege* 41. *D. de O. et. A.*

Ad Legem Decimam.

JULIANUS Lib. 3. ex MINICIO.

»*Si gemina arbor esset, et supra terram* »*junctura ejus emineret, una arbor* »*videtur esse: sed si id, qua junge-* »*retur, non exstaret, totidem arbores* »*sunt, quot species earum supra ter-* »*ram essent.*"

Huic legi apud Gothofredum inscriptum legimus: *Quot sint arbores.* Nec immerito: nam haec quaestio, quot arbores caesae sint, usu venire debet, quoties in singulas arbores poena statuta sit; ex Lege, v. gr. duodecim Tabularum, qui hac actione conveniebatur, viginti quinque aeris in singulas arbores quas caecidisset, pendere damnabatur (1). Hinc quum duae arbores invicem juncta fuissent, scire intererat an una, an gemina arbor videretur, de qua re

---

(1) Sic legimus apud Plinium *Hist. Nat. XVIII. I.* »Fuit »et arborum cura, legibus priscis; cautumqne est duo- »decim Tabulis, ut, qui injuria caecidisset alienas, »lueret in singulas aeris XXV." Quem locum refert Grotius *in Flor. Spars. ad h. t.* p. m. 221.

Gemina arbor, etiam occurrit apud Virgilium, *Aen. L. 6. vs. 203:*

»Liquidumque per aëra labsae
»Sedibus optatis, gemina super arbore sidunt."

Julianus sententiam fert, ita ut una censenda sit arbor, si ejus junctura supra terram emineret; tot, contra, arbores esse aestimentur, quot supra terram emineant, si id, quo jungerentur non supra terram emineret. Cf. Pothier *ad h. t. D.* nº 6. et Schulting. *in notis ad h. L.*

Si gemina. Geminus, prima significatione, de personis adhibetur, ita ut gemini significent *duos, eodem partu editos;* vel ut Servius, *ad Aen. II. vs.* 500. adnotat, *duos simul editos.* Quidquid sit, vox denotat arctissimam conjunctionem, atque hanc notionem etiam servavit in secunda significatione, qua hoc vocabulum ad res simillimas, et arctissime inter se conjunctas, translatum est, sic de binis oculis, hac voce etiam utitur Virgilius, alio loco.

» *Huc geminas nunc flecte acies; hanc aspice gentem.*"

Quasi dicat poëta: geminas oculorum acies, id est, totum visum tuum, huc debes dirigere.

Junctura ejus. Junctura arboris est id quo jungitur.

Non extaret. Supple: *supra terram.*

Ad Legem Undecimam.

PAULUS Lib. 22 ad Edictum.

»*Sed si de arboribus caesis* [*ex*] *Lege* »*Aquilia actum sit: interdicto,* Quod »vi aut clam, *reddito absolvetur, si* »*satis prima condemnatione gravave-* »*rit reum; manente nihilominus ac-* »*tione ex lege XII Tabularum.*"

Casus legis hic est. Actum erat, legis Aquiliae nomine, arborum furtim caesarum; nunc tollitur interdictum *quod vi aut clam*, si nimirum judex, sententia sua, tantum gravaverit reum, ut hoc interdicto non plus possit consequi actor, quam jam consecutus est, e prima condemnatione rei, per judicem. Et porro docetur, salvam nihilominus manere actionem ex lege duodecim Tabularum, quatenus scilicet illa plus contineret, sive pinguior esset.

Quum autem haec Lex, uti etiam Lex 9. h. t. explicanda sit ex *L.* 41. § 1. *D. de O. et A.* hanc paragraphum hîc adscribendam esse, ex re duximus: »si ex eodem facto, duae competant »actiones, postea judicis potius partes esse, ut, »quo plus sit in reliqua actione, id actor ferat. »Si tantundem aut minus, nihil consequatur" (1).

(1) Conf. quae adnotata sunt supra *ad L. 4. h. t.*

Generaliter, de doctrina supra in d. L. 9. h. t. et in hac L. 11. tradita, regula certa fixaque haec statui potest: quod, si quis duriore antea egerit actione, nempe *arborum furtim caesarum* ea contentus esse debeat. Sin leniore, nimirum *locati*, possit adhuc petere, actione *arborum furtim caesarum*, quod in eo plus est; et si quis, de arboribus caesis, ex lege Aquilia egerit, supersit adhuc actio ex lege duodecim tabularum; in id scilicet, quod in ea plus est.

Ejusdem generis atque interpretationis est *L.* 18. § 1. *D. Comm.* ubi Gajus dicit, de rebus commodatis vel depositis (si sint deteriores redditae) et actiones ex contractu, et legis Aquiliae oriundas esse: sed si qua earum actum fuerit, alias actiones tolli; nimirum, si duriore actum fuerit, tollitur lenior; non contra. Cf. A. Matthaeus *de Crim. L.* 47 *tit* 3. *C.* 2. *n*º. 7. et Smallenb. *in n. ad L.* 10. *D. n.* 1. et B. Voorda *thes. controv. dec.* 25. § 9. et caeteri, quos citat Small. *in n. ad L.* 41. § 1. *D. de O. et A.* et explicatio quam exhibet Pothier, *ad d. L.* 41. *n*º. 66.

Gravaverit reum. Scil, si judex in tantum condemnaverit reum, quantum et solummodo per illud interdictum, actor posset consequi.

Manente nihilominus actione ex lege XII. Tabularum. Sed notandum est, hanc actionem solummodo in eo, quod plus est, remanere.

Ad Legem Duodecimam.

JAVOLENUS Lib. 15. ex CASSIO.

» *Qui agrum vendidit, nihilominus fur-*
» *tim arborum caesarum agere potest.*"

Hujus actionis eadem causa est, quae actionis e lege Aquilia oriundae. Conf. *L.* 15. § 1. *D. h. t.* Datur enim, quoties damnum in re nostra passi sumus; oritur ergo ex dominio, et domino competit. At vero forte quis quaerat, quanam ratione tunc competere potest illi, qui agrum suum vendidit? Gothofr. ad h. L. ex multis legibus citatis, doctrinam, hac lege contentam, vult explicare de casu, quo lis jam contestata foret; quin imo mox prorsus in contrarium it, adnotans: » *Imo non potest*, *L.* 6. § 4. *D. de aqua* » *et aquae pulv.*" sed in ea lege agitur de dominio jam tradito; hic non item, quum sermo tantum sit de fundo vendito sed nondum tradito. Conf. Schulting, *in notis ad h. L.* Atque hacce interpretatione, facile omnes difficultates quaestionesve evanescere facit. Pothier *ad h. t.* n°. 4. nota *A.* qui ad verbum *vendidit*, adnotat: *et nondum tradidit.*

TANTUM.

THESES.

I.

Mulieres in Codicillis testes esse nequeunt.

II.

Vestium verus, non quasi ususfructus est.

III.

Mandator vulneris, si mandatarius fines mandati fuerit egressus, non tenetur lege 15. D. *ad L. Corn. de Sicar.*

IV.

A momento mortis consiliarii, prodigo dati, ipse prodigus recte statim contrahere poterit.

V.

Si conjux petierit dissolutionem provisoriam communionis, sola uxor tenetur ad fidejussorem dandum, non vero maritus.

VI.

Adsentimur Montesquievio, *Lettres Persanes*, *Ep.* 106. publicae saluti dammosum esse, nulla plane divortia admittere.

VII.

Consiliarius, de quo agitur art. 391. Cod. Civ. non tenetur de consilio suo, nisi fuerit fraudulentum.

VIII.

Minores 16 annis, numquam poenâ criminali puniri possunt.

IX.

Ubi nulla Lex, nullum est delictum.

X.

Poenae constituendae proximus nobis videtur finis, ut a delictis omnes deterreantur; exsequendae vero, ne legis, poenam minantis, vana sit omnis et inanis auctoritas; quamvis ultimus, et comminationis et executionis finis in tuenda juris securitate sit positus.

XI.

Quum ad imputationis gradum maxime intersit, utrum cogitate et consulto, an vero in

animi commotione scelus quoddam perpetratum sit; egregia aestimanda est sententia Ciceronis, *De Off. lib.* 1. *cap.* 8. »Sed in omni injustitia per»multum interest, utrum perturbatione aliqua »animi, quae plerumque brevis est, et ad tem»pus, an consulto et cogitate fiat injuria: Le»viora enim sunt, quae repentino aliquo motu »accidunt quam ea, quae meditata et praeparata »inferuntur."

XII.

Religio ab omni imperio libera est. Omnis itaque religio quae rem publicam non turbat, est toleranda.

Mc

